Morbio 21 (46)

In nomine domini amen anno nativitatis eiusdem millesimotrecentesimonona[ge]simo indictione terciadecima die Jovis undecimo mensis augusti
Lazarius de trezela filius quondam guill[elmi] habitans in loco cixano illorum de birago capite plebis comitatus ast[ensis] et Bnardus eius filius habitans
in dicto loco de cixano et uterque eorum insolidum faciens dictus Bnardus cum parabulla consensu licenzia et mandato dicti Lazarij patris sui
ibi presentis et eidem Bnardo consentientis et mandantis ac parabullam et licenziam dantis et prestantis ad infrascripta omnia et singula faciendum
Renuntiantes illi nove constitutioni qua cavetur quod nemo ex reis insolidum conveniatur si alter sit presens et solvendo et auxilio epistole divi adriani
et omni alij iuri et auxilio usus et legis quibus sese tueri vel iuvare possent, promisserunt et vadiam dederunt obligantes sese et
omnia eorum et utriusque eorum insolidum bona presentia et futura mobillia et inmobillia etiam ea que de iure communi vel simili non veniunt nec
cadunt in generali obligatione necnon suppellectilia domus pignori domino Georgio de mayno filio quondam domini Ambrosij civitatis (Mediolani) porte
Vercelline parochie monasterij novi ibi presenti stipullanti et recipienti Ita quod uterque eorum insolidum dabunt et solvent seu reddent et restituent
eidem creditori vel suis heredibus aut eius certo misso nuntio vel persone hoc instrumentum habenti tantum in pecunia numerata et non in alia re sine aliqua
exceptione et contradictione hinc ad mensem unum proxime futurum libr. centum quadraginta et sol. octo imperialium bone monete ast[ensis] nunc currentis Cum omnibus
et singulis expensis dampnis et interesse que fierent et sustinerentur pro predictis denariis petendis exigendis consequendis et recuperandis vel ab alio
recuperandis termino preterito. Quos quidem denarios predicti debitores et uterque eorum insolidum faciens dictus Bnardus predicta parabulla consensu licenzia
et mandato intervenientibus ut supra ad instantiam et requisitionem suprascripti creditoris presentis et cum instanzia requirentis fuerunt confessi et contenti ab
eo creditore recepisse et habuisse et eidem creditori dare debere et solvere debere et teneri pro bobus duobus unus quorum est clarus cum cornibus sparsis
alter est rubeus tralinus in clarum cum cornibus sparsis et uno plaustro ferrato uno erpice uno aratro una massa ferri et quibus pluribus alijs utensilibus
aptis ad laboreria terre eisdem debitoribus et utrique eorum datis pro laborando massaritium dicti creditoris iacentem in territorio dicti loci de cixano quod
ipsi debitores et uterque eorum tenent et laborant a dicto creditore in territorio predicto et certa mutua pro adiutorio dicti massaritij de quibus tamen bobus
plaustro herpice aratro massa et alijs utensilibus aptis ad laboreria terre ut supra predictus dominus georgius creditor retinuit et retinet in se dominium
et possessionem donec de ipsis suprascriptis suis denariis integraliter erit sibi satisfactum per suprascriptos debitores suos et utrumque eorum. Renuntiantes exceptioni predicti debitores
et uterque eorum insolidum faciens dictus Bnardus predicta parabulla consensu licentia et mandato intervenientibus ut supra non habitorum et receptorum dictorum bobum
plaustri herpicis aratri masse et aliorum utensilium ut supra et numeratorum et receptorum et habitorum dictorum denariorum ut supra et non debendorum dictorum denariorum ut supra
et predicta certa ut supra et omni probationi et defensioni in contrarium Et constituerunt predicti debitores et uterque eorum insolidum faciens dictus Bnardus predicta parabulla
consensu licentia et mandato intervenientibus ut supra se se omnia eorum et utriusque eorum insolidum bona et ipsos boves et ipsa utensilia apta ad laboreria
terre ut supra nomine dicti creditoris tenere et possidere Ita quod ex pacto liceat dicto creditori ubique invenire de bonis et rebus et personis dictorum debitorum et
utriusque eorum insolidum et ipsos boves et utensillia apta ad laboreria terre ut supra sua propria auctoritate sine banno sui et vel nuntio alicuius iudicis ac
etiam via iudiciaria robare contestare capere sequestrari occupare capere et detinere et in possessione corporale intrare et sibi extimari facere et in solutum dare
et in solutum accipere et retinere vendere et alienare usque ad plenam et completam solutionem et satisfactionem omnium predictorum. Que omnia et singula fecerunt
predicti debitores et uterque eorum insolidum faciens dictus Bnardus predicta parabulla consensu licentia et mandato intervenientibus ut supra Ita quod uterque eorum insolidum
ad predicta omnia et singula possint omni tempore ubique et sub quolibet iudice realiter et personaliter conveniri et agi compelli et cogi ad predicta. Renuntiantes ex certa
scientia et pacto speciali omnibus ferijs et dillationibus causarum et omni iurisdictioni eorum et omnibus statutis ordinamentis provisionibus consilijs et arengis factis et
faciendis in contrarium et omni alij iuri et auxilio usus et legis quibus se se tueri vel iuvare possent Insuper predicti debitores et uterque eorum insolidum faciens dictus
Bnardus predicta parabulla consensu licentia et mandato intervenientibus ut supra iuraverunt et iurant ad sancta dei evangelia manibus corporaliter tactis suprascriptis
presente suprascripto creditore et ad eius instanzia et requisitione quod perpetuo semper et omni tempore presentem obligationem et omnia et singula in ea contenta ratam gratam
et firmam et rata grata et firma habebunt et tenebunt et nullo tempore contrafacient vel venient aliqua ratione vel causa de iure nec de facto sub
ypotheca et obligatione reffectione et restitutione omnium et singularum expensarum dampnorum et interesse litis et extra. Que quidem omnia et singula
facta fuerunt et sunt presente domino Beltramolo de curadis anziano domus bestiarum grossarum civitatis et comitatus ast[ensis] habitante in civitate ast[ensi] in porta nova
in parochia sancti petri ad cornaredum volente consentiente ac licentiam mihi notario infrascripto et contrahentibus suprascriptis et cuilibet eorum dante et prestante de
tradendo et cellebrando et contrahendo presentis contractum et omnia et singula in eo contenta ac dicente et prestante se esse contentum et sibi solutum de dacia
suprascriptorum bobum. Actum in brollo novo communis ast[ensis] presentibus Johannino de Pellizarijs filio quondam franceschini parochie sancti michaelis et Jacobo de lanello
filio Johannoli parochie sancti petri ad monachos ambobus porte Cumane ast[ensis] notarijs pro secundis notarijs. Interfuerunt testes Johannes de
clivate fil. quondam domini Jacobi porte nove parochie sancti Bartolomei intus notus francescholus de iuliano filius quondam domini georgij porte Vercelline
parochie monasterij novi ambo civitatis ast[ensis]. Johannes de cagnolis de pagano filius quondam tolli habitans in loco badagio plebis de cixano
suprascripti comitatus ast[ensis] et Johannes de placentia filius quondam Petrivaldi porte Vercelline parochie sancti victoris ad teatrum ast[ensis] omnes idonei vocati et ad predicta vocati.

Et Ego Johannes de Ferranazijs filius quondam domini passagij civis ast[ensis] porte [struck through] Vercelline
parochie monasterij novi publicus imperiali auctoritate notarius hoc instrumentum obligationis rogatus tradidi et scripsi

Ego Petrolinus de casatis filius quondam domini guidoti civis ast[ensis] porte Comensis parochie sancti georgij in pallio notarius
imperiali auctoritate interfui suprascripti notarius et scripsi et hic me subscripsi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1854046632-15

d. Georgio de magno
Lazarus de trezella et
Bernardus eius filius

1390, 11 Augusti

Morbio 21 (46)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1854046632-15